

Rector Universitatis Rostochiensis Petrus Wasmundt I. U. D. & Professor, Ad funereas exsequias Quas ... Annae Behmen, Vir ... Dn. Joachimus Schwartzkopf, Reipublicae urbanae Senator ... Uxori ... in templo Mariano parant, cohonestandas, Omnes omnium ordinum cives Academicos ... invitat

Rostochi[i]: Pedanus, 1631


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746827679>


Druck Freier  Zugang




Wasmundt, P.,
in A. Behm,
uxor. Joach. Swartzkopf.

Rost. 1631.







RECTOR
Universitatis Rostochiensis
PETRUS WASMUNDT
J. U. D. & Professor,
Ad funereas exsequias

Quas
LAUDATISSIMÆ FOEMINÆ
ANNAE BEHMEN,
Vir Prudentissimus & Doctissimus,
Dn. JOACHIMUS SWARTZ-
KOPF, Reipublicæ urbanæ Senator
Spectatissimus

Uxori desideratissima, & liberi mærentes matri
hodie hora prima in templo Mariano parant,
cohonestandas,

media

Omnes omnium ordinum cives Aca-
demicè amanter & officiosè invitât.



ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXI.

RECTOR
Universitatis Rostochiensis
PETRUS WASMUNDT
J. U. D. & Professor.



Ita humanæ brevitatem, & temporis quo illa absolvitur pernicitatem atq; miseriam, literæ tam divinæ tum humanæ testantur; comprobantur experientia. Notum est quanto discrimine singuli in lucem prodeamus, quantis periculis infantia sit obnoxia, qualibus & quantis mox adolescentiâ, & post hanc juvenilis, inde virilis, & deniq; senilis ætas. Vigorem corporis tradunt paulatim deficere circa vitæ annum tricesimum quintum: animi vero robur & vigorem decrescere anno quinquagesimo. Ab hominis vita si infantiam & senectutem detrahas, quantulum vitæ relinquatur facillè expendimus. Huic vitæ reliquæ (si modo vita appellanda est, qua singulis momentis morimur, & cui mortis nativitas principium statuit, mors autem, quæ appellatur, finem imponit) si tempus somno & quieti indulgen-

dulgendum, quo nihil aut parum à mortuis differimus detrahamus, quantulum vitæ tandem remanet: Cum enim tempus vitæ per exiguum datum sit hominibus, inde tamen somnus velut crudelis aliquis publicanus dimidium aufert & ad se trahit. Unde æstimatione nocturnæ quietis dimidio vitæ spacio singuli tantum vivimus: altera dimidia pars, vel somno impendenda, quæ morti similis, aut nisi somnus detur & quies non contingat, pœnæ & morbo, qui etiam morte gravior. Hæc jam vita quæ relinquitur, quot periculis objicitur, & quot morbis infestatur? Certè nihil in rerum universitate, tam exile, tam vile, tam nihili invenitur, quod ad occasionem mortis hominis non plenissimè sufficere videatur. Non jam memorabo casus, lapsus, ruinas, terræ motus, fulmina, bellum, naufragia, venena, diluvia, pericula ab aqua & igni, à calore & frigore, à fame & siti, vel potius ab ingluvie & satietate quæ longè plurimos mortales occidit & enecat. Non numerabo hoc loco operas in quibus desudant homines; ut sunt arare, seminare, navigare, molere, coquere, texere, emere, vendere, legere, scribere, imperare, laborare, anhelare. De morbis jam nihil dicam, qui longè plures humanum corpus infestant,

A 2

quam

quam ejus partes numerant, quæ numerantur
longè plurimæ. Recitant medici nominatim
centum morborum species, & amplius, quibus
unum humani corporis membrum, oculus af-
fligitur: Jam si de hujus brevis ac fugacis vitæ
miserijs ærumnis & calamitatibus saltem quæ-
dam libare animus mihi foret, cum Poëta I-
cariæ numerum dicere coner aquæ. Illud sal-
tem dico ex Apostoli sententia; in pugna peri-
culosissima versatur universa vita hominum
etiam piorum, qui mente quidem serviunt le-
gi Dei non consentiendo, carne autem legi
peccati concupiscendo. Infra pugnat cupidi-
tas carnis, supra assensus rationis: ante incurfus
dæmonis, post memoria criminis: à dextris e-
levans prosperitas, à sinistris premens adverfi-
tas. In his omnibus illud meritò nobis solatio
est, quod à prima infantia, etiam ad decrepitam
usq; senectam, vitæ spacium breve est. He-
sternum enim diem, ut ait Augustinus, nemo
revocat: hodiernus urgetur à crastino ut tran-
seat: verba currunt, horæ volant; sic ætas no-
stra, sic actus nostri, sic felicitas nostra, sic &
miseria nostra. Quamvis igitur illud perpe-
tuitatis desiderium, quod à natura nobis infi-
tum est, faciat, ut non nobis solum, sed amicis
etiam precemur annos semper & annos, imme-
mores.

mores in votis nostris studia esse contraria,
quippe quæ viam volunt, non volunt viæ ter-
minum: si tamen humanas miseras rationis
lance ponderemus, facile apparebit gratulan-
dum esse fœminæ laudatissimæ *Annæ Behmen*
quod & breviter in hujus mundi cruciatibus
vixerit, & in ista brevitate benè vixerit: jamq;
in veræ tranquillitatis locum abierit, unde in
posterum non transibit. Vitam hanc illa in-
choavit, anno superioris seculi millesimo,
quingentesimo, nonagesimo primo, die Mer-
curij post Dominicam. Invocavit, in celebri ci-
vitate Neobrandenburgensi, quæ inter Star-
gardicas lucet velut inter ignes Luna minores;
orta ex familia splendidissima, cujus radij non
solum istum orbem, sed exteras etiam provin-
cias & civitates illustrarunt hætenus, & etiam-
num illustrent clarissimè. Patrem habuit vi-
rum prudentissimum & doctissimum *Dn. Ge-
orgium Behmen* Consulem Reipubl. patriæ dum
viveret vigilantissimum: matrem fœminam
pudoris & pietatis decore conspicuam *Agneta*
Krauthofes / Virorum præclarissimorum *Jacobi*
quondam Senatoris Reipubl. Patriæ prudentif-
simi *Christophori* J. U. D. & inclytæ urbis Stral-
fundensis Consulis meritissimi, *Henrici* itidem
J. U. D. & practici celeberrimi, & *Danielis* Con-
sulis


fulis Neobrandenburgensis spectatissimi: item
fæminarum laudatissimarum *Anna Friderici
Sandehers* Dicasterij Megapolensis Protonota-
rij olim fidelissimi relictæ viduæ & *Regina Dn.
Marci Luschovij* Senioris & Senatoris Reipubl.
urbanæ gravissimi uxoris germanam sororem.
Avus illi paternus fuit Vir clarissim⁹ & consul-
tissimus Dn. *Erasmus Behme* J. U. L. Consiliarius
Megapolensis & præfecturæ Stargardiensis capitaneus
quondam fidelissimus: Avia paterna *Anna Krausen* ma-
trona honoratissima, ex perantiqua istius loci *Krausio-
rum* familia oriunda. Avum maternum habuit virum
amplissimum & prudentissimum Dn. *Jacobum Krauchhoff*
Consulem Reipubl. Neobrandenb. meritissimum: a-
viam maternam *Reginam Heins* fæminam, omni genere
virtutum, quæ sexum condecorant fæmineum orna-
tissimam, & rei Oeconomicæ gerendæ peritissimam;
Viri quondam Magnifici amplissimi & consultissimi
Dn. D. *Friderici Heins* Consiliarij Megapolitani, Pro-
fessoris Academ. & tandem Syndici & Consul. Reipubl.
urbanæ celeberrimi, de utraq; Reipubl. optimè meriti
Sororem. Fratres consanguineos piè defuncta duos ha-
buit, *Erasmum* Republicæ Neobrandenb. Consulem
dignissimum, qui in nupera istius civitatis obsidione
oppugnatione expugnatione & direptione cruenta li-
centiosi militis manu in proprijs ædibus confossus oc-
cubuit, tristemq; omnibus sui memoriam reliquit: &
Petrum Prætozem istius loci Ducalem industrium, per-
que Dei gratiam adhuc superstitem. Ex splendidis his-
ce majoribus orta piè defuncta nostra tenella admo-
dum matrem amisit: at vero redemptor gentium spon-


fam hanc suam in sacrosancto baptismatis lavacro à peccatorum sordibus mundissimo suo sanguine purgavit: & matre orbatam avia *Regina Heins* educandam tradidit, à qua non ut pupilla à tutrice sed ut filia à matre nutrita, & ad pietatem ac muliebris curæ studia liberaliter fuit informata, donec Rostochium traducta jam matuta viro, jam plenis nubilis annis singulari Dei dispositione Anno 1609. 4. Sept. singulari Dei providentia à viro prudentissimo & doctissimo Dn. *Joachima Swarzkopff* senatore hujus urbis spectatissimo in matrimonium eligeretur ac duceretur. Conjugium hoc fuit auspdatum & tranquillum. Nam quod Pomponio Atticus apud Cornelium Nepotem de se olim gloriatus est, nunquam cum conjugē se in gratiam rediisse, quia scilicet, nunquam inter ipsos offensæ quidquam aut jurgij intercesserat, id jure optimo prædicare de sua hac uxore potest superstes maritus mæstissimus, quæ ne nolle quidem quod ipse vellet, aut velle quod ipse nollet unquam in animum induxit suum. Nunquam illis necesse fuit templum *Deæ Viriplacæ* accedere: in quo Romæ olim vir & uxor dissidentes convenire & in gratiam æquissimis animis redire solebant. Non fuit hæc imperiosa Polla, non morosa Papyria, non rixosa Xantippe & Afrania; sed in qua *Saræ* eluceret humilitas, *Rachelis* frugalitas, *Tabithæ* benignitas, *Susanne* castitas. Nec vero tranquillum tantum, sed etiam fecundum fuit inter ipsos conjugium. Aucti enim sunt, divina benedictione, tum opibus terrenis, tum quod longè præstantius & optabilius filiis tribus, & filiabus quatuor, quarum prima *Elisabetha* in matrimonium tradita est viro ornatissimo *Hermanno Lembken* civi hujus urbis patritio & primario, *Anna* in tenella ætate ad plures & meliores abiit.


abijt; cæteri utriusq; sexus *Georgius, Agnetis, Regina, Ioachimus & Casparus* adhuc per Dei gratiam supersunt. Cæterum ante aliquot dies morbus dysentericus piè defunctam invasit; Cui licet fidelissima medicorum cura summo conatu & industria sese opponeret, morbumq; pellere conaretur: frustra tamen laborem omnem impenderunt. Quamvis enim aliquoties malum illud articepsurum videretur, mox tamen recrūduit & invaluit; adeo ut morbum illum mortis apparitorem manifestum omnes agnoscerent, qui cum tandem alios morbos assumsisset socios, id effecit, ut fæmina ornatissima. hujus mensis hora 9. vespertina in vera Dei agnitione & invocatione, postquam ad instans iter salutari corporis & sanguinis Dominici viatico se instruxisset, & liberos veræ pietatis, obædiētæ erga parentem, sedulitatis & cæterarum virtutum Christianarum sedulo & fideliter admonuisset, placidiss. in Christo morte obiret, abiret. Subvolavit anima ejus, corporis hujus ergastulo soluta, in cælum, & remigravit ad eum, à quo data, & cui pijs precibus commendata erat: corpus terræ matri hodiè hora 1. in templo Mariano reddetur. Nostrum erit, erga Deum pietatem, erga piè defunctam honorem, erga mæstiss. maritum & liberos benevolentiam & condolentiam, erga familias laudatiss. humanitatem nostrā ostendere, & ad sacra hæc funerea frequētes convenire. Ite ergo exequias cives Acad. Dnn. Profess. Doct. verbi divini ministri, Magistri & studiosi juvenes: & inter eundem mortal. vestræ memores Deo utramq; Remp. ardentibus votis & suspirijs commendate P. P. Sub sigillo Universitatis 22. Oct. Anno 1631.



lia









fam hanc suam in sacrosancto baptis
peccatorum sordibus mundissimo suo
purgavit: & matre orbatam aviæ *Regin*
dam tradidit, à qua non ut pupilla à tuti
matre nutrita, & ad pietatem ac mulieb
liberaliter fuit informata, donec Rosto
jam matuta viro, jam plenis nubilis ani
dispositione Anno 1609. 4. Sept. singu
dentia à viro prudentissimo & doctissim
Swarzkopff senatore hujus urbis spectat
monium eligeretur ac duceretur. Conj
auspicatum & tranquillum. Nam quod
ticus apud Cornelium Nepotem de se
est, nunquam cum conjugē se in gratiam
scilicet, nunquam inter ipsos offensæ qui
gij intercesserat, id jure optimo prædica
xore potest superstes maritus mæstissim
le quidem quod ipse vellet, aut velle q
unquam in animum induxit suum. Nu
cesse fuit templum *Deæ Viriplacæ* accede
mæ olim vir & uxor dissidentes conver
am æquissimis animis redire solebant. N
periosa Polla, non morosa Papyria, non
& *Afrania*; sed in qua *Saræ* eluceret hun
frugalitas, *Tabithæ* benignitas, *Susannæ*
vero tranquillum tantum, sed etiam fac
ter ipsos conjugium. Aucti enim sunt, c
ctione, tum opibus terrenis, tum quod
tius & optabilius filijs tribus, & filiabus
rum prima *Elisabetha* in matrimonium
ornatissimo *Hermanno Lembken* civi hujus
& primario, *Annæ* in tenella ætate ad plu

